



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R.P. Richardi Lyncei ... Vniversa Philosophia Scholastica

Complectens Metaphysicam, id est, Scientiam de Ente incorporeo, seu
transnaturali

Lynch, Richard

Lvgdvni, 1654

Cap. I. In quo sita sit identitas, ac distinctio, seu multiplicitas realis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95247](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95247)

litas essentia ab actualitate existentia, ac per consequens essentia actualis ab existentia itidem actuali ad minimum virtualiter distinguitur saltem in nobis. Contra tamen; quia hominem actu esse animal rationale, & hominem actu esse sunt idem formalissime sub diuersis terminis: & oppositum à Thomistis non probatur, nec probabile est.

29 Arguunt quintò: essentia actualis Petri est eadem heri, & hodie: existentia autem Petri non est eadem heri, & hodie: ergo essentia actualis, & existentia Petri realiter distinguuntur. Consequentia perspicua est: quia separabilitas realis & propria distinctionem realem arguit: at eo ipso, quod propositum antecedens verum sit, sanè actualis essentia ab existentia simpliciter, ac verè separari poterit: siquidem actualis essentia Petri hodie existit absque eo, quod eius existentia crastina hodie existat. Porro autem antecedens cuius prior pars probatione non eget, quoad posteriorem probatur: quia potest Petrus existere hodie, quin cras existat: ergo eius existentia crastina, & hodierna realiter separabiles, ac distinctæ sunt; seu, quod perinde est, eius existentia non est eadem heri, & hodie. Atque huc fortassis videbitur alicui allusisse Seneca epist. 58. *Quaecunque videmus, ac attingimus, Plato in illis non numerat, quæ esse propriè putat: fluunt enim, & assidua diminutione, atque adiectione sunt. Nemo nostrum idem est in senectute, qui fuit iuuenis. Nemo est manè, qui fuit pridie. Corpora nostra rapiuntur fluminum more; quicquid vides, currit cum tempore: nihil ex his, quæ videmus, manet: ego ipse dum loquor mutari ista, mutatus sum. Hoc est, quod ait Heraclitus: in idem flumen bis non descendimus: manet enim idem fluminis nomen, aqua transmissa est. Hoc in amne manifestius est, quam in homine: sed nos quoque non minus velox cursus præteruehit; & ideo admiror dementia nostram, quod tantopere amamus rem fugacissimam, corpus, timemusque nequando moriamur, cum omne momentum mors prioris habitum sit. Vis tu timere ne semel fiat, quod quotidie fit? De homine dixi, fluida materia, & caduca, & omnibus obnoxia casibus: Mundus quoque æterna res, & inuisita mutatur, nec idem manet. Eodem modo, quo Seneca, loquitur D. Basiliius Homil. 23. de non adhar. reb. sæcul. Est autem vita nostra fluminis quidam continuè, & irremissis, ac indefinitibus fluctibus plenus; quorum alio præterlapso iam alius in cursu præsens est: & hoc pacto ad commune mortis mare properamus. Rursus quod caput est lib. 4. Regum cap. 14. vers. 14. ibi: Omnes morimur, & quasi aquæ dilabimur in terram, quæ non reuertuntur: vita, & existentia nostra comparatur aquæ successiuè labenti, vt exponunt Vatablus, & noster Gaspar Sanchez, & alij.*

30 Respondeo: existentia hodierna, aut crastina duo comprehendit, videlicet existentiam, necnon durationem, quæ tempori hodierno, aut crastino commensata est: vnde vt actualis essentia Petri ab existentia hodierna, aut crastina realiter inadæquatè distinguitur (quod & non amplius argumentum conuincit) satis est, vt essentia illa Petri à duratione hodierna Petri realiter distinguatur; quod nos vltro fatemur, & in Physica explicuimus, cum de duratione sermonem haberemus: at necesse non est, vt essentia Petri, quæ de loquimur, ab eius existentia secundum se præcisè sumpta realiter distinguatur: quod solum nobis aduersatur. Quod autem spectat ad auctoritates in contrarium allegatas, non id eis conuincitur, existentiam nostram primariam prout condistinctam ab essentia actuali, esse successiuam, & singulis momentis aliam, atque aliam: sed potius tam essentiam

nostram actualem, quàm existentiam non adæquatè, sed inadæquatè esse in continuo fluxu, & identidem perire: quidni verò, cum nullum ferè momentum sit, in quo aliquid spirituum vitalium, ac materiæ ad vitam necessariæ non amittamus? Atque hunc esse scopum tum Scripturæ sacræ, tum Basilij, ac Senecæ ex ipso verborum, quibus vtuntur, contextu apparet.

31 Respondeo secundò, essentiam actualem, de qua in præsentī semper sermo est, & existentiam rei bifariam sumi posse: primò prout quatenus tam hæc, quàm illa est illud esse primum, & actuale, quo res à suis causis egreditur. Secundò ita, vt essentia sola rei sit illud esse primum, ac permanens, quod à causis ipsius rei producitur, & actu ponitur: existentia verò sit duratio successiuæ, quæ res temporī labenti correspondet, quæque per verbum est, siue existit sæpè sæpius exprimitur in hunc modum: *Petrus est, vel existit*. Hunc sensum explicat, & amplectitur Molina 1. part. disp. 2. quæst. 3. art. 4. essentia ergo, & existentia in hoc posteriori sensu realiter distinguuntur: & id duntaxat argumentum factum conuincit: secus verò in priori sensu, qui potissimum in controuersiam reuocatur.

32 Arguunt postremò aduersarij auctoritate Aristotelis 2. post. cap. 7. ibi: *Quid autem sit homo aliud est, quàm hominem esse*: ac deinde: *esse verò nulli rei est essentia*. Item auctoritate Boëtij lib. de hebdomad. cap. 1. ibi: *Diuersum est esse, & id quod est*. Boëtio ad stipulantur plerique Patres super illud Exodi c. 3. *Ego sum, qui sum*. Verum hæc, & similia argumenta duntaxat conuincunt essentiam creatam a priori durabilem à parte rei verè ab existentia distingui: quod probè intelligi potest absque eo, quod distinguantur distinctione reali, aut summâ, essentia actualis, de qua in præsentī sermo est, & existentia.



TRACTATUS II.

De identitate, & distinctione reali entis vt sic.

CAPVT I.

In quo sita sit identitas, ac distinctio, seu multiplicitas realis?

33 **N**VL L V M est ens, quod non sit idem secum, nullum, quod non distinguatur ab omni non ipso: quare negari nequit, quin identitas, ac distinctio sint attributa entis vt sic: porro autem cum varia sint genera identitatis, ac distinctionis (aut enim alterutra est realis, aut formalis, aut virtualis intrinseca, siue extrinseca) auspicandum arbitror ab identitate, & distinctione reali: in quibus explanandis plures circumferuntur sententiæ. Quarum prima est, identitatem indefinibilem esse, nec clariùs explicari posse, quam per se nota sit: quia nulla definitio definitum explicat, nisi definitionem esse idem cum definito cognoscatur: at definitionem esse idem cum definito cognosci nequit, quin priùs cognoscatur, quidnam sit identitas: antequam igitur definitio identitatis eam explicet, priùs identitas per se nota supponitur, ac proinde nequit per definitionem clariùs, & dilucidius explicari. Contra tamen sic argumentor: quia cognitio identitatis, alia est perfecta, & quoad quid est;

est; & hæc ad definitionem identitatis non supponitur, neque oppositum aduersarij conuincunt: licet enim vt cognoscam Petrum, verbi gratia, esse distinctum à Paulo, necesse non est, vt quid sit distinctio perfectè præcognoscam, ita similiter, vt cognoscam definitionem aliquam esse idem cum definito, non oportet, vt quid sit identitas perfectæ ratione præcognoscam: alia est cognitio identitatis imperfectæ, & quoad an est; & hæc ad definitionem identitatis necessariò præsupponitur, vt contrarij persuadent: at inde non sequitur identitatem non posse explicari, aut definiri, sed potius oppositum, cum non nisi à minus perfectæ, & clara notitia ad magis perfectam, magisque claram intellectus ascendar.

2. Constat, & declaratur à simili, vt aiunt. Ex eo, quòd definitio generis debeat constare genere, & differentia, non sequitur ante definitionem generis exactè præcognosci, quid sit illud genus, quo quatenus genus est, ea constat definitio, aliàs genus, vt sic definiri, & clarius explicari non posset, quam erat antea per se notum: igitur ex eo, quòd definitio identitatis debeat esse idem cum definito, non sequitur ante eam definitionem perfectè, & absolute cognosci, quid sit identitas, ita, vt definiri, & luculentius declarari nequeat, sed tantum confuse, & imperfectè. Et quidem hæc sententia genus, differentiam, essentiam, definitionem, & alia similia indefinita relinquit, quæ tamen hi auctores, & plerique definiunt: eadem enim arguendi forma, qua aduersarij vtuntur ad probandum identitatem non esse definitioni subiectam, probari potest, rationes commemoratas definitionis esse prorsus incapaces.

3. Secunda sententia est, identitatem realem esse idem cum vnitatem: vnitatem autem in negatione multitudinis consistere, ita, vt quod non est multiplex, eo ipso formaliter vnum sit: quid autem sit esse plura, multaue, esse per se, ac sponte sua notum. Ceterum displicet hæc quoque opinio: tum, quia vnitatem est indiuisio rei in se, vt vel aduersariis est in concessio: sed ibi particula *se* identitatem, seu ipseitatem exprimit, vt ex terminis liquidum: quare intellectus eundemmet cognoscens se cognoscere dicitur: potius igitur vnitatem per identitatem, quam e conuerso explicatur: tum, quia vnitatem metaphysica rei secum ipsa distinguitur ab vnitatem phylica rerum distinctarum, & ab vnitatem per aggregationem: at non alia de causa, nisi, quia illa est per identitatem hæc verò per modum, aut relationem approximationis, aliamue similem: vnitatem igitur metaphysica per identitatem magis, quam e contrario est explicanda: tum etiam, quia vnitatem in indiuisione, & identitas in indistinctione consistit: at indiuisio, & indistinctio vt sic diuersæ sunt inuicem: vnitatem igitur, & identitas vt sic distinguuntur. Minor syllogismi (haud enim de illius maiore, & consequentia potest esse dubium) suadet ita: diuisio, & distinctio distinguuntur: ergo & indiuisio, ac indistinctio: pater antecedens, & quia personæ diuinæ diuidi, seu separari nequeunt absolute loquendo, cum tamen absoluta ratione distinguantur; & quia ideo aliqua extrema diuisibilia diuiduntur, quoniam sunt inter se distincta, eorumque distinctio diuisionis eorundem radix, & fundamentum est, quo fit non posse non distingui ambas. Et quidem identitatem haud esse sitam in vnitatem vt sic, & latissime fusa, neque per eam posse definiri, docet, ac probat Plato in Parmenide his verbis: *Non ea est ipsius vnius natura, qua ipsius eiusdem natura est. Quare? quia nondum cum idem sit aliquid aliquid, vnum efficitur. Qua de causa? Quod multis idem sit, multa non vnum fieri necesse est. Verum. At si*

ipsum vnum, atque ipsum idem nihil discreparent, quoties quid idem fieret vnum quodque semper efficere-tur, quotiesque vnum semper, & idem. Et paulò infra sic concludit: Ipsum tamen idem ab vno natura se-cerni ex antè dictis apparuit.

4. Iam etiam displicet ea sententia quoad secundam eius partem: quia multitudo explicatur per vnitatem: multitudo enim cum numero recurrit, & est prorsus idem: numerus autem omnium consensu est collectio vnitatum: ergo, & multitudo: quod expresse docet B. Thom. 1. metaph. text. 6. lect. 4. his verbis: *Nihil aliud est multitudo, quam aggregatio vnitatum: unde licet ea, quæ sunt diuisa multa sint, non habent tamen rationem multorum, nisi postquam huic, & illi attribuuntur*: quo ex testimonio duo colliguntur: alterum, multitudinem non ita esse per se notam, vt definiri, & explicari nequeat: alterum, non tam vnitatem in ordine ad multitudinem, quam e contrario multitudinem in ordine ad vnitatem explicari oportere.

5. Tertia sententia asserit, vnitatem transcendentalem, ac Metaphysicam, siue identitatem realem eam esse, quæ propositionem affirmatiuam veram, & negatiuam falsam fundat, distinctionem verò realem esse, quæ propositionem negatiuam veram, aut affirmatiuam falsam fundat, vnde homo, & animal sunt realiter idem, quia hæc propositio est vera, *homo est animal*; & hæc falsa *homo non est animal*: at homo, & equus distinguuntur realiter, quoniam e contrario hæc negatiue vera est *homo non est equus*; & hæc affirmatiua falsa: *homo est equus*. Confutatur tamen hæc sententia: idcirco affirmatiua illa prior est vera, & negatiua falsa, quia homo, & animal idem sunt: identitas igitur hominis, & animalis per circulum vitiosum ad seipsam redit, & per seipsam explicatur: idem absurdi sequitur in distinctione, vt expendenti palam erit. Secundò: hæc propositiones negatiue: *Existencia Petri non existit Deus alium mundum non vult, Paternitas diuina non communicatur Filio*; hæc, inquam, sunt veræ: sed nullam distinctionem realem inter prædicatum, & subiectum arguunt: de prima id est euidentissimum: de secunda etiam indubitatum est supposita plurium Theologorum (inter quos sunt aliqui aduersariorum) opinione, iuxta quam volitio libera Dei est prorsus ei intrinseca, & nihil creatum, etiam de obliquo, aut minus principaliter concernit: de tertia id fide Sanctum est, cum communicari, seu communicabilitas ab essentia indistincta etiam virtualiter nequeat salua fide distingui à Paternitate, qua cum essentia diuina identitatur.

6. Ad primam propositionem earum, quæ sunt in posteriori argumento nostro obiectæ, respondent primò nonnulli, subiectum eius esse existentiam Petri vt merè possibilem, ac nondum munere vllius causæ ad esse tractatam, prædicatum verò existentiam vt exercitam, & actualement, quæ sanè realiter distinguuntur, aut certe carentia rei ab ea poterit esse indistincta: quocirca in propositione illa negatiua regula à nobis oppugnata nequaquam videtur infringi. Contra tamen sic arguo: hæc propositio, *Petrus non existit*, potuit esse vera, vel in indiuiduo, vel certe in specie, siue in simili: at si assereret essentiam, vt merè possibilem, siue possibilitatem meram existentiam cum eius carentia coniunctam esse existentiam actualement, nec in indiuiduo, nec in specie vera esse posset, essetque essentialiter falsa, tam quoad speciem, quam quoad indiuiduum, haud secus, atque hæc, *Potentia mera ad amandum est actus, & exercitium amoris*: subiectum ergo illius propositionis, de qua est

est controuersia, non est existentia, ut merè possibilis, sed existentia secundum se, & specificatiue sumpta, quæ certè à prædicato, nimirum existentia realiter non distinguitur. Secundo alij respondent, regulam illam intelligendam esse de locutione stricta, & propria, qualis non est hæc, *Petrus non existit*, cum potius magis propriè, magisque ad id, quod contingit in mente dici oportet: carentia Petri existit. Verum eadem ratione hæc locutio: Petrus non est albus: esset impropria, & in mente ei propriè responderet hæc propositio: carentia albedinis est in Petro, atque adeo nulla propositio propriè negatiua esset, omnesque propriè, & in mente essent affirmatiue, quod quis absurdum non reputer? Tale quidem esse à nobis ostensum est ex professo in Dialectica lib. 4. tract. 1. cap. 1. à medio.

Ad secundam, & tertiam propositionem respondent primo nonnulli, regulam illam intelligendam esse in solis rebus creatis, non verò in diuinis. Caterum difficultati apertè succumbunt, & identitatem, ac distinctionem vniuersalissimè sumptam, & à Deo & creaturis abstractam non explicant, quæ tamen non minus est explanationi subiecta, quam veritas, aut bonitas, de quibus dubitari nequit, quin prout à creatura, & increata abstractæ possint definiri, & explicari. Secundo alij ad easdem propositiones respondent, regulam, aduersus quam opponatur exigere, ut sint eadem extrema identitatis, & distinctionis ex vna parte, & ex alia negationis, & affirmationis, & sic in diuinis veram, & nunquam falsam esse: nam pater, & res communicata sunt extrema identitatis: nunquam autem erit verum dicere, *pater non est res communicata*. Verum non satisfaciunt: primò, quia pater, & communicari filio sunt extrema identitatis, & etiam propositionis negatiue veræ: hæc ergo in diuinis distinctionem, nec infert, nec arguit: antecedens probatur, quia communicari, seu identificari realiter filio est idem cum essentia: ergo cum patre extrema identitatis constituit, non minus, quam essentia, seu res communicata. Secundo, & efficacius: quia in hac propositione, *Deus non vult alium mundum*, extrema negationis veræ sunt Deus, & velle: at Deus, & velle non sunt extrema distinctionis, cum velle Dei sit ipse Deus; illa igitur regula ne sic explicata valet in diuinis.

Quarta sententia identitatem definit summam communicationem duorum conceptuum obiectiuorum: communicatio autem illa duplex esse potest: aut extensiva, qua alter conceptus ad omnia, & singula alterius prædicata extenditur, ita, ut nullum vni, & non alteri conueniat, aut possit: alia est intensiua, qua alter conceptus alterum summè, & infinite perficit. Displicet etiam: primò, quoniam animal cum rationali realiter identificatur, & tamen ei summè non communicatur, nec intensiue, ut perspicuum est, nec extensiue, cum aliquod prædicatum animali, & non rationali ex parte rei conueniat, ob distinctionem virtualem vtriusque inferius probandam. Secundo, quoniam natura diuina non communicatur summè patri, cum quo tamen realiter idem est; maior enim est communicatio, qua sibi ipsi natura communicatur, quam qua patri, cum illa sit virtualis, & realis, hæc solum relis, & illa plures distinctiones, nimirum realem, & virtualem, hæc verò solum realem excludat.

Tertiò, quia actus liber, quoad terminationem realiter idem est essentia diuinæ, idque prorsus, & ex toto iuxta aduersarios: at ei summè non communicatur: haud enim ea communicatio summa est intensiua, cum actus liber quatenus liber essentiam diui-

nam nullo modo, nedum infinite perficiat secundum hos authores, quibuscum est lis: haud etiam est extensiua, cum actus liber quoad terminationem definire possit, & quoad essentiam deficere nequeat, atque adeo cum essentia in iisdem prædicatis non consentiat. Quarto tandem, quia filiatio diuinitus vni potest nexu quodam modali, & physico paternitati diuinæ: quo in euentu eam infinite perficeret, ut certo certius: at in eo euentu minimè identificarentur realiter ambæ relationes; summa igitur communicatio intensiua ob realem identitatem minimè sufficit: minor est conspicua, quæ enim semel distinguuntur realiter, nec diuinitus queunt identificari inuicem: maior quoad primam partem (nam de secunda dubitari nequit, ut dictum est) suadet, tum, quia filiatio diuina magis distat à natura creata, quam à paternitate, sed illi vni potuit physice: ergo & huic: tum, quia identitas essentialis, siue in essentia triplicis substantia diuinæ non vetat, quominus relatio producentis, & producti inter eas intercedat: haud ergo prohibebit, quominus relatione vnionis nectantur inuicem. Scio P. Didacum Ruiz disp. 107. de Trinitate, sect. 7. num. 17. ita negare de facto vnionem modalem, & creatam inter personalitates diuinas ut censet talem modum etiam diuinitus impossibilem esse. Caterum eius argumenta magni momenti non sunt; & ad ea à nobis alibi factum est satis.

Quinta sententia est identitatem esse inseparabilitatem in existendo duorum conceptuum obiectiuorum. Ita Scotus in 2. dist. 2. q. 2. Theodorus, Smisingus de Deo disp. 1. q. 2. num. 50. & plures alij Scotiste. Impugnatur tamen primò, quia personæ diuinæ sunt inseparabiles prædicto modo, fierique non potest, ut vna existat sine alia: & tamen non sunt idem. Respondent aduersarij, eas habere identitatem quoad essentiam, & naturam diuinam, quippe quæ in omnibus est vna, & eadem. Sed contra sic arguo, quia non sunt inseparabiles duntaxat quoad naturam, sed quoad ipsas etiam relationes prout condistinctas virtualiter, aut iuxta contrarios ex natura rei ab essentia, & natura: & tamen quoad esse relatiuum haud sunt idem: perperam ergo adstruitur inseparabilitatem esse identitatem. Rursus secundo: modus est diuinitus inseparabilis à re sua, verbi gratia vnio ab extremis, quæ necit inuicem: atqui non habet cum illis veram aliquam identitatem etiam absolutam, quam vocant, ut tract. sequenti liquebit: quamuis oppositum tueantur, non solum ij, quibuscum lis est, verum etiam P. Suarez disputat. 7. metaphys. sect. 2. num. 8. ad eius finem, alique multi. Tertiò ad homines confutatur ea sententia, quoniam plures eius fautores sibi satis non constant, quippe qui modo identitatem explicant per inseparabilitatem, alibi verò totum à suis inseparabile partibus, nihilominus eis realiter idem esse denegant. Quapropter inseparabilitatem in existendo haud esse signum identitatis realis, tantum abesse, ut sit eius essentia logica, ac definitio, censent, & merito non pauci auctores, præsertim verò Caietanus 1. parte quæstion. 28. artic. 2. ad 2. Mairon. in 1. distinct. 29. quæstione 2. Fasolus prima parte quæstione & artic. nuper citatis num. 166.

Sexta sententia moderationem quandam superiori adhibet, tuereturque identitatem rectissime explicari posse per inseparabilitatem in existendo, ac primariam, non secundariam, directamque, non indirectam: distinctionem verò realem per separabilitatem ex diametro oppositam. Porro inseparabilitatem primariam, & directam appellant huius sententiæ auctores

auctores eam, quæ ex speciali conditione aliqua-
rum inseparabilium non proficiscitur, sed potius ex
primariis earum conceptibus ducit originem. Verum
ne hæc identitatis, ac distinctionis explicatio mihi
aridet. Nam in primis haud est à priori, cum non
ideo conceptus aliqui distinguantur, aut identifi-
cantur, quia separabiles, aut inseparabiles sunt, sed po-
tius è conuerso; quod ne hos auctores crediderim
inficiaturos. Deinde inseparabilitas animalis, & ra-
tionalis primaria, ac directa non esset, prout ad vtriuf-
que requiritur identitatem, ea si explicatio valeret:
siquidem oritur ex peculiari eorum conditione: quod
apertissimum est, quia si alterius conditionis fo-
rent, non minùs separari possent, quàm homo,
& equus.

12 Tum etiam: personæ diuinæ realiter distinguun-
tur: & tamen sunt primariò, & directè inseparabiles:
quod enim hæc inseparabilitas oriatur ex eo, quòd,
vel essentia diuinæ identificentur, vel inuicem essen-
tialiter referantur, vel necessaria, æternæ, immensæ
sint, vel ex alia simili earum conditione, vt hi recen-
tiores disputant, non obest, quominus ea inseparabi-
litas primaria sit, atque directa: siquidem leo, & ho-
mo primariò, & directè separabiles sunt, & tamen
ea separabilitas oritur ex eo, quòd non sint idem
vni tercia essentia; si enim hanc sortirentur identi-
tatem, inseparabiles essent, non minùs, quàm tres
diuinæ hypostases: similiter ergo personæ diuinæ
primariò, & directè inseparabiles erunt, licet ea inse-
parabilitas proficiscatur ex eo, quòd sint eadem vni
essentia. Rursus, quòd leo non sit homo, ab eoque
separabilis sit, oritur ex eo, quòd vterque sit ens fi-
nitum, non necessarium, neque æternum, aut immen-
sum: sicut enim infinitas naturæ diuinæ eius vnita-
tem, siue, vt significantius dixerim, vnicitatem fundat,
ita & contrariò finitas rerum creaturarum, earum di-
stinctionem, ac multipliciter fulcit, efficitque,
vt aliæ aliarum perfectionem identicè non inclu-
dant: at leo, & homo nihilominus sunt separabiles
primariò: quòd igitur inseparabilitas personarum
triados earum infinitati, ac necessitati accepta referri
debeat, nequaquam obstat poterit, quominus sint
inseparabiles primariò. Nec video, cur separabili-
tas ex finitate, contingentia, aut simili conditione
profecta adhuc primaria, & directa sit, & inseparabi-
litas ex infinitate, aut necessitate oriunda non sit pri-
maria, & directa.

13 Septimò alij censent, tunc duo esse idem realiter,
quando ambo simul sumpta alterutrum perfectione
non excedunt, distincta verò, quando secus se res ha-
bet. Contra tamen sic arguo: tres personæ diuinæ re-
latiue, & in abstracto sumptæ alterutrum perfectione
simpliciter non excedunt, vt etiam ipsi cum commu-
ni Theologorum sententia aduersus nostrum Fasol-
um supponunt, vtque constat ex cuiusvis personæ
diuinæ infinitate simpliciter tali, de cuius certè con-
ceptu est, vt nunquam se superari patjatur: & tamen
non propterea vna persona diuina realiter identifi-
catur cum alia. Quò huic difficultati satisfaciant, ad
identitatem personarum absolutam, & in natura re-
currunt. Sed incassum: nam defectus inæqualitatis
iuxta eos est identitas: ergo & defectus inæqualitatis
absolutæ, & quoad naturam, erit identitas absoluta, &
quoad naturam, defectus verò inæqualitatis notio-
nalis, & quoad personalitates erit idéitas notionalis,
& ipsarummet personalitatum: sed ipsi admittunt
vtrumque defectum inæqualitatis in personis di-
uinis, fatenturque duas earum, vel etiam totas tres,
nec essentialiter, nec etiam notionaliter esse perfe-
ctiores qualibet singulari sumpta: eas ergo debent

admittere identificatas vtroque modo, & penes natu-
ram, ac penes ipsas relationes, si quid valet tradita ab
eis definitio identitatis.

Argumentor secundò: duæ carentiæ non sunt
magis perfectæ, quàm vna sola: & tamen altera ear-
um haud propterea cum altera identificatur, sed
potius, vel iuxta aduersarios summè distinguuntur.
Nec valet, si quisquam dicat, duas esse simpliciter
imperfectiores vna sola: tum, quia hi recentiores ad
talem imperfectionem non confugiant, nec per eius
æqualitatem explicant conceptum identitatis: tum
etiam, quia iuxta ipsos duæ carentiæ non possunt
esse imperfectiores vna sola, eo, quòd censcant im-
perfectionem cuiuslibet carentiæ summam, & infi-
nitam esse, & eam planè, qua non potest excogitari
maior imperfectio, quia, scilicet, qualibet carentia est
omnis perfectionis experta. Hoc argumento colli-
gunt relationem dissimilitudinis absque inæquali-
tate perfectionis, aut imperfectionis reperiri posse:
constat enim, inquit, multas carentias dissimiles
esse suo modulo: & tamen neutra est imperfectior
alia, eo, quòd alterutra sit summè imperfecta.

Argumentor tertio: quemadmodum relatio ex-
cessus opponitur identitati, ita & quævis alia re-
latio realis similitudinis, æqualitatis, dissimilitudinis,
& causalitatis, &c. vt infra latè à nobis ostendetur
huiusmet libri tract. 4. cap. 15. Cur ergo exponitur
identitas per carentiam relationis excessus, & non
potius per carentiam cuiusvis alterius: si nimirum, vt
ea sint idem, non solum quorum complexum al-
terutrum non excedit, sed etiam quorum neutrum
ad aliud potest realiter referri per similitudinem,
causalitatem, aliumue respectum. Quarto sic argu-
mentor: prius est aliqua realiter distingui, quàm re-
ferri realiter per similitudinem, æqualitatem, &c. prius
igitur est identificari aliqua, quàm excludere relatio-
nem realem excessus, aliamue quamlibet: sicut enim
se habet distinctio ad relationem realem, eique præ-
stat fulcimentum, ita se habere debet identitas ad
carentiam relationis realis, eiusque esse fundamen-
tum: perperam ergo explicatur identitas realis duo-
rum per hoc, quòd ambo non excedant realiter al-
terutrum: quo pacto si Petrus, verbi gratia, prius esset
homo, quàm animal rationale, nequaquam posset ho-
minis essentia explicari, & definiti per animalitatem,
cum rationalitate coniunctam.

Tandem octauò, alij adstruunt identitatem esse
rationem formalem huius, quòd est esse idipsum. 16
Ceterum hæc definitio non talis est, sed synonyma
potius: nam idem *ab id* deriuatur, ab eoque non di-
stinguitur, nisi vnus adiectione syllabæ: quocirca
idem, & id, siue identitas, & ratio ab aduersariis in
eius explicationem adducta non magis differunt,
quàm Deitas, & diuinitas, imò fortasse minùs: at
Deitas, & diuinitas sunt nomina synonyma: ergo, &c.
Quòd si ad ipseitatem, vt sic dixerim, recurrant, ea
etiam est vox synonyma respectu identitatis, vel certè
ea neutiquam est clarior: eius ergo additio haud facit,
vt definitio identitatis possit sustineri.

CAPVT II.

Nostra in præcedenti controuersia opinio.

Difficile quidem est inuenire in hac materia quid
domino satisfaciatur. Interim existimo, identita-
tem realem esse indistinctionem realem ab eo con-
ceptu, cui res eadem dicitur. Ita præter alios Mairo
in 1. dist. 8. quæst. 6. art. 2. suadet autem: nam eo
ipso,